
PALAESTRA




1936 N. 6

INDEX RERUM:

Mickievicius A., Thaddaeidos l. I vertit R. Nowowiejski . . 3

IN TEGUMENTO: ADAM MICKIEVICIUS

Natus est Adam Mickiewicz, celeberrimus Polonorum poeta, anno 1798 in vico Lithuaniae Zaosie, studia humaniora in gymnasio Novogrodensi absolvit et inde ab anno 1817 in universitate Vilnensi, ubi celeberrimum Ernestum Groddeck habuit praeceptorem. Iuvenis una cum Thomą Zan et Josepho Jeżowski aliisque societatem Philomathium, qui postea facti sunt Philaretae, condidit. Post studia philologa absoluta magistri munus Covnae suscepit, usque dum a Rossis una cum aliis Philomathibus propter insigne Poloniae liberae studium, quod Rossi summum ducebant crimen, accusatus et exilio multatus est. Exinde totam vitam degit exul partibus in extraneis, sed patriae minime est oblitus, cui omnia opera poetica consecravit. Inter quae opera imprimis sunt notanda: *Inferiae (Dziady)* — drama romanticum tribus constans partibus, sed non absolutum, *Thaddaeis (Pan Tadeusz)* — libris XII carmen epicum, *Nationis Polonae Libri (Ksiegi Narodu Polskiego)* et *Peregrinationis Polonae Libri (Księgi Pielgrzymstwa Polskiego)* — in quibus prosa oratione maiestatem Evangeliorum imitatus est et adsecutus, *Ballatae et cantiunculae (Ballady i romanse)* quibus themata popularia artificiosa donavit forma, deinde ad Byronii exemplum conformata narrationes epicae *Grażyna (Grażyna)* — de principis Lithuanici uxore, quae pro patria salvanda mortem libens obiit, et *Conradus Vallenrod (Konrad Wallenrod)* — de magno Cruciferorum magistro, qui origine ortus Lithuanica gentem suam ulciscens Cruciferorum ordini perniciem meditabatur. Post multas peregrinationes M. devenit in Helvetiam, ubi professoris litterarum Latinarum exercuit munus. Denique Parisios convocatus in Collegio Franciae litteras Slavicas summa cum omnium laude docuit. Cum Francia contra Rossos expeditionem pararet, Mickiewicz Poloniae liberandae tempus iam advenisse putabat legionemque Polonam sub auspiciis Turcicis instruebat: profectusque hanc ob rem a. 1855 Constantinopolim brevi cholerae morbo succubuit.



ADAMI MICKIEVICII

THADDAEIDOS L. I

seu de ultimis in Lithuania pignoribus vi ablatis.

Lithua, dulce solum patriae, tu ceu valitudo!
Quanti censenda es, modo comperieris amissa;
Me species candorque tuus trahit, hoc decus amplum
Cerno, flagrans tibi cum desiderio accinere ausim.

Virgo sacrata, hera quae Clari tutelaque Montis,
Lucida tu Porta Vilnensi fulgis in Acri —
Ac populi Novogrodensis castella tueris!
Ut puerum me reddideras (mirabile) salvum —
(Cum mater tibi me lacrimans soli obtulit aegrum
Erigiturque modo mea mortua palpebra miro;
Protinus et pedibus potui ire ad limina fani
Pro vita grates donata ferre Supremo) —
Hac nos mirifica patriae ratione reducis!...

Interea mentem procul extra transfer anhelam
Ad colles, saltus, ad gramine prata virenti,
Caerulei longe quae margine strata Nemeni,
Arvaque frumenti vario depicta colore,
Triticeo ad campos splendore siliginis auri
Fagopyra in quibus alba nitent et flava rapistra,
Virgineusque thymo rubor ore offunditur ardens
Omnia ceu viridi ligamine, limite cincta,
In quo stant placidae stirpes raraeque pirorum.
Tales inter agros stetit olim, margine rivi,
In nemore ulmorum gracili, quoque colle supino
Lignea, supposito lapide alma patricia villa;
Calce dealbati muri procul usque nitebant
Albius, ut viridi remicantes populi ab umbra,
Quae numerosa illam ventosis protegit auris;
Aedes exiguae, lepidae sed et undique mundae;
Horrea magna, strues prope frugum messis opimae,
Quas stipulis contecta domus non claudere posset;
Frumenti regio haec valde fecunda videtur,
Undique tot manipli longe lateque frequentes
Sideribusque pares fulgentibus, et tot aratra,
Quae sulcos fodiunt citiusque per arva novalis,
Cuius humus villae nigra pertinet — haud dubitan-
[dum —
Consita cum cura paris hortorum ordinis instar:
Ut sudoris opes habitent hic; est modus ac lex.
Lata patensque viatori foris indicat omni,
Hospitium regnare domo cunctosque vocare.

* * *

En biiuga advehitur gracili reda almus ephebus,
Propatulo circum fertur, prae limine sistit.
De curru descendit, equi tunc iure suo usi
Gramina vellentes redam languore trahebant
Ad portam; deserta domus, nam ianua clausa
Obdita pessulo erat, defixus et anulus illo.
Non peregrinus adit servos ad praedia quaerens,
Porta reclusa; salutatum penetralia tangit;
Iamdudum non visa domus, confecit in urbe
Doctrinas etenim procul, ursit denique finem. —

* * *

Irrepit, parietes avide circumspicit una,
Colligiturque oculis ut quondam nota voluptas.
Perstat adhuc idemque tapes eademque supellex,
Se quibus oblectans iam pupus ludere amabat.
Cuncta videntur ei minus et pulchra atque minora
Quam quondam, sed et effigies spectantur eaedem
Pendentes muris, tectus Kosciuszko galero
Cracoviensi, oculis sursum, manibusque capessens
Compressis gladii capulum, nam talis erat, cum
Pectore vota Deo flagrante ferebat ad aras,
Caesaribus mucrone tribus sua liberet arva
Aut morietur eo. Quid? Sidit veste Polona
Libertate dolens patriae Rejtanus amissa,
Cultrum morte tenens in pectus acumine strictum,
Ante iacet Phaedon, duri quoque vita Catonis.
Porro Jasinsciades lepidus tristisque adolescens,
Korsacus prope eum comes ac fidissimus armis

Aggere stant Pragae — Moschi quoque stant in
[acervis —
Ambo hostes feriunt, dum Praga exurit in igne.
Agnita et horologi vetus illi forma stativi
Ligneolumque armariolum conclavis ab intra,
Quaque hilaris puer arripiens linum attrahit ad se,
Dombroviae sonitum cum vult audire masurcae.

* * *

Aedes pervolitat totas tablinaque quaerit
Et cellas, infans habitabat ubi ante decem annos.
Intrat et exit ea, circumfert lumina mirans
In muros; haec sitne gynaeconitis? Ibi unquam?
Quis tandem hic habitet? Patruo de caelibe narrant;
At matertera erat deversans Petropoli olim.
Praeceptrixne habitet cella? Quid? Fortepiano?
Cuncta, notae variique libri, proiecta supra sunt,
Permixte temereque iacent — confusio grata!
Haud vetus illa manus res haec prostraverat istuc.
Palla prope alba recens depromptaque nuper ab hamo
Ac distenta supra sellam; ornant vasa fenestras
Plurima odoriferis omnes bene olentibus herbis,
Matthiolae, violae, gerania candida et astri.
En aliud mirum: — breve constitit ante fenestram
Ille viator — erat quondam tener hortulus, oras
Invius urticis qui tramitibusque resectus
Turgebat loliis piperitisque undique menthis;
Lignea ibi numerisque notis astricta, pusilla
Saepes dulce micans agresti belle perenni.
Videntur liquido tumuli modo rore rigati,

Lamineus stat enim plenus prope guttus aquarum;
At nusquam visa est horti topiaria quaedam:
Exierat modo et usque movet se portula saepis
Tam prope percussae; sabulo vestigia pressa
Apparent — pede erat nudo soleisque carebat —
In sicco et tenui gressus, albo ad nivis instar
Pulvere deficti leviter; coniectio plana
Veloci cursu, summis digitisque relictos
A quadam, quae vix valuit contingere terram.

* * *

Prospiciens stabat meditans longe ante fenestram
Ille viator: olent flores, trahit aëra odoris:
Densos ad frutices violarum vertit et ora
Et cupidos oculos tramites circumagit horti
Parvaque rursus eos ligat ad vestigia inusta,
Quae reputans iterum, cuius sint, conicit ista.
Tollit forte oculos — transversa in saepe puella
En tenera florens aetate stat — albus amictus
Proceram speciem tegit usque ad pectora tantum,
Bracchia denudans, collum et gracile instar oloris.
Littala mane gradi tali vestita solebat,
Nemo videbat eam neque tali vir iuvenisve;
Teste licet nullo manibus contexerat ultro
Ubera casta statim retinens velamine amictum.
At coma non cirris cumulata, sed arcta venuste
Nodis exiguis contortis folliculisque
Asservata albis caput ornans arte, micabat
Lumine solis uti sanctorum rite corona.
Non cernebatur facies, conversa in agrorum

Planitiem quendam quaerebat, quem procul, imum;
Conspicit, arridet manibusque tenerrima plaudit,
Alba velut volucris salit huc a saepe, per hortum
Currit, per saepes, per flores laeta relictos
In tabula muris innixa, illapsa cubile est,
Haud visa, apparens tam clara, patente fenestra
Desubito tranquilla, levis quasi lucida luna.
Arrepta veste accelerat speculum ante canitque,
Quo iuvenem conspexit inops, et labitur alba
Palla manu pallentque genae, stupor anxerat illam.
Mira viatoris facies exarsa rubore
Ceu nubes, aurora videt quam mane serena;
Demissis oculis et velato ore modestus
Se iuvenis purgare volens et dicere quidquam
Inclinatus abit. Virgo autem clamat acerbe
Obtusoque modo, quo proles territa somno;
Commotus iuvenis cernit; iam non fuit illa.
Exit sollicitus, quantum cor pectore pulsat,
Sentit et ignorat, miro an ridere repugnet
Occursu pudeatve an debeat exhilarari.

* * *

Interea non praeteriit per loca villae
Vestibulo advectum convivam sorte recentem.
Iamque ligantur equi stabulo, illis pabula large
Valde attenta domus foenique cibaria praebet.
Nam non more novo Iudex dimiserat unquam
Iudaica hospitum equos ad deversoria fessos.
Nonne ruere foras famuli salvere iuberent?
Ne credas quidem eos socordes munus obire

Iudicis in laribus; famuli exspectare; Tribunus
Sit prius indutus, nam epulas parebat hic extra.
Fungitur is domini vicibus, quo saepe abeunte
Excipere ipse solet convivas ore faceto;
(Sanguine cognatus domini, convictor, amicus)
Hospite conspecto furtim contendit in aedes;
(Namque occurrere ei nequiit texta arte lacerna)
Quam primum potuit, sollemnem sumpsit amictum
Mane paratum, etenim iam multo mane sciebat,
Se sessurum epulis cum vesperis hospitum acervo.

* * *

Eminus agnoscit, manibus tentisque Tribunus
Voce viatorem complectitur oscula dando.
Tunc cita coepta statim sale conversatio mixta,
Annorum qua res brevibus concludere dictis
Perplexisque velint narrandi et more rogandi,
Clamant voce, trahunt suspiria adhucve salutant.
Sat speculatus eum perquaestum fine Tribunus
Incipit illius quoque prodere gesta diei.
„Quam bene, mi Thaddaee“ (etenim praenomine [dictus
Hoc iuvenis nomen Kosciusci sic refricante
Herois celebris, quia belli tempore natus),
„Quam bene, mi Thaddaee, domum qua sorte vocatus
Advenis, immo simul multae venere puellae.
En patruus censet tibi mox Hymenaea parare;
Delectusque frequens; laribus celebratio multa
Nuper finitimas ad lites, quaeque fuere,
Denique cum Comite huc dirimendas convenit almo;
Dicitur ipse Comes cras adventurus in aedes,

Iam camerae praefectus adest, cum coniuge natae;
Exiit in silvam pubes colludere telis,
Maiores cum virginibus quoque visere messem
Prae silva; certum est heic exspectare iuventam.
Quid? Procedamus, placet, occurremus eodem
Principi et eius herae, patruo clarisque puellis“.

* * *

Silvam versus eunt Thaddaeus et ille Tribunus,
Nondum sat referunt sibimet sermone loquaces.
Ultima iamiam sol subiit confinia coeli
Largius effulgens vergente die, at minus ardens,
Perfuditque rubor solem, sanum os ut agrestis
Otia perfecto quaerentis blanda labore
Tendentisque domum; iam solis lucidus orbis
Incubat in summo luco caligoque densa
Et ramos penetrans et summa cacumina frondis
Totam constringit silvam, quasi confluit una;
Ac fusca ingentes haec silva nigrescit ut aedes,
Solque ruber, tecto velut ignis flamma, refulgens
Iam ruit in barathrum, nitet in ramalibus usque
Cereus ut rimosa micat per vela fenestrae;
Interiit tandem. Mox falces aere sonantes
Frumenti per agros cratesque per arva retrusae
Conticuere cito. Sic Iudex imperat ipse, ut
Conficiatur opus, dum sol pellucet, agreste:
„Scit mundi Dominus quam tempora longa laboris;
Cum graditur sol de caelis, operarius Eius,
Tempus agrestis adest, qua lege recedat ab arvo“.
Talia more refert Iudex, at Iudicis omnis

Debuit esse probo sententia sancta colono.
Ipsaque plaustra etenim, quae fascibus haud sat [onusta
Frumenti, dum sol immergit, ad horrea tendunt;
Insolita levitate boves laetantur eorum.

* * *

Tunc redit ex silva modo coetus tota corona
Laeta, sed ordine; eunt suboles custode fruentes,
Quas sequitur Iudex, camerarum et principis uxor,
Tunc prope gentis herus graditur comitante caterva:
Virgineae post maiores, iuvenesque seorsum;
Quosque puella omnis praecedit semigradatim
(Imperat ista decus). De quolibet ordine nemo
Disputat, haud statuens iuvenes ubiquaque puellas,
Sponte quidem quisquis de praestanti ordine curat;
Nam Senex veteres lare mores sanxerat arcte:
Non patiebatur quem contra errare pudorem
Aetatis, stirpis, rationis, muneris unquam.
„Ordine composito gentesque domusque, solebat
Dicere, florescunt; neglecto, sorte peribunt".
Ordine et assueti famuli ergo quisque domi sunt;
Advena quisque comes, cognatus vel peregrinus
Iudicis accedens domui paulumque moratus
Moribus obsequitur cultis, quibus omnia spirant.

* * *

Iudex donat amans presso ore salute nepotem;
Ut premat oscula, ei dextram bonus ac gravis offert,
Basiolum fronti figit blandeque salutat;
Ac licet hospitibus respectis pauca locutus,

E lacrimis, scissis manicis quas tersit amictus
Tam cito, Thaddaeum patuit quantopere amabat.

* * *

Quisque patrem sequitur villae, nam messe relicta
E silva, pratis pastuque revertitur una:
Grex ovium balans ruit hic per densa viarum
Pulvere mota; armenta boum persegnia tendunt,
(Tirolicae cum campanulis fusisque orichalco);
Hinnit equorum acies e pratis laeta recurrens
Demessis, et cuncta ruunt undam ad putealem,
Pertica ubi crepat usque et aquae mox plena crepido.

* * *

Iudex defessus licet hospitibusque refotus,
Ipse ministrabat rerum grave munus opusque:
Solus adit puteum. Melius nam vespere spectat
Villicus ipse statum, quo res pecuaria nunc est,
Cuius agens regimen famulis non praeficit unquam;
Iudex nam scit, equis oculum domini esse saginam.
Vestibulo ad lumen Protasque Ministerialis
Atque Tribunus agunt verbis; discordia paulum
Dissociabat eos, namque ille absente Tribuno
Iusserat occulte mensas proferri epulasque
E laribus, media raptim quoque constitui arce,
Ad silvam cuius veteres micuere ruinae.
Cur prolata? Petit veniam supplexque Tribunus,
Iudex obstupuit facti ratione, sed actum est;
Difficile atque malo serum iam iamque mederi,
Maluit errori convivam ignoscere quemque
Ducere et in vacuam. Probat ipse Ministerialis

Assidue domino, cur immutata supellex:
In villa nullam totaque patere sat amplam
Cellarum hospitibus pro tot, quoque tam veneratis;
„Frons arcis stat magna et adhuc servata decore;
Fornix incolumis, paries rimosa, vitrisque
Quaeque fenestra caret, sed tandem aestate quid
[obstat?
Commodum et est famulis hypogaeum concamera-
[tum...“
Sic fans nictatur, sed et ex duro ore videtur
Causas ille habuisse alias, graviora tacere.

* * *

Arx haec pone domum graduum duo milia stabat,
Splendida structura, gravis augustissima mole,
Gentis Horesciadum veteris quae heredia magna.
Nobilis occiderat patriis in motibus haeres;
Quaeque magistratus bona, dum ultro corripit, ampla
Vastata et turbis simul arbitrioque forensi,
Partim femineis affinibus inde tributa
At reliqua abstulerat quae debita creditor omnis.
Arcem non cupiit possidere nobilis ullus,
Namque impensa foret res ardua tecta tuendi;
At Comes interea, propius vicinus, ut utens
Iure suo, dives, procul et cognatus Horescum,
Orbe reversus, amans laetatur moenibus amplis,
Quae secum reputans Gothico genere aedificata,
Quem Iudex quamvis convinceret e documentis
Artificem Vilnae neque forte fuisse Gothorum.
Sat, Comitem voluisse arcem. Quae tanta libido

Iudicis et mentem subito occupat (ansa negatur).
Causaque civili primum, tunc iudicio acta est
Praecipuo, sed et ante patres iterum, ultima Russo;
Denique et impensis licet imperioque frequenti
Finitimarum adiit rerum mala causa forenses.

* * *

Fronte arcis lata, quam iure Ministerialis
Dixerat, ampla satis patet hospitibusque vocatis
Iuridicisque, supra fornix (triclinium ut ingens),
Pilis nixa, pavimentum lapide arte retextum,
Non paries vestita, nitet lepida oblita calce;
Cervorumque exstant et cornua capreolorum
Circum inscripta, loco quo quando haec praeda re-
[dacta;
Queis venatorum generisque insignia sculpta,
Insigne inscriptum stat iuxta nomine quodque;
Fornice Horesciadum fulgebat semicaprinum.

* * *

Convivae ingressi consistunt ordine in orbem;
Assedit prima Camerae praefectus honoris
Sede; aetatis honor decet illum et muneris iste.
Matronis caput inclinat coramque iuventa et
Praeteriens senibus, Iudex Fraterque Minorum
Stant prope, dum Frater Latio breveque ore precatur.
Mulsa viris dantur; cenatum quisque resedit;
Iure rapis facto taciti vescuntur amici
Littalicoque; licet iuvenis, Thaddaeus, ut hospes,
Consedit prae virginibus prope Iudicem amanter.
Inter eum patruumque locus quoque restitit unus

Sorte vacans, ut si quemquam exspectaret, inanis.
Sedem hanc spectabat patruus persaepe foresque,
Ut certe adventum cupiens alicuius amati.
Thaddaeus foribus, patruelia lumina sectans,
Desertoque loco huic oculos affigit ut ille.
Quae sunt virginibus — res mira — sedilia circum,
Quas stirps regia etiam posset colere absque pudore,
Omnes florentes, generosa et quaeque venusta;
Thaddaeus spectat sedem, qua nulla sedebat.
Hic locus aenigma est, iuvenes aenigmata quaerunt.
Confuso ore, suae vicinae paene locutus
Pauca, nitore licet, natae Camerari adolescens
Neve liquore scyphos implet mutatve catillos,
Nec ioca agit, neque eam dictis oblectat amoenis,
Queis cultura urbis mox perspiceretur adepta.
Ille locus vacuus caecans mentem allicit eius...
Haud vacuus, sensis etenim compleverat illum,
Mille gyros coniecturae de quo variabant,
Post pluviam similes prato ranunculae in udo,
Inter quas dominat species tantum una, sereno
Ut Nymphaea lacus sub aqua frontem erigit albam.

* * *

Tertia mensa datur. Vini Camerarius inde
Impletoque Rosae cyatho pro virginis haustu
Et propius moto cucumes quoque vase sativos
„Filiolae — fatur — vobis ex corde ministro
Ipse senex et iners licet“. Inde ruebat eodem
Quis pubes simul a mensa, famulata puellis.
Thaddaeum limis oculis tunc aspiciebat

Iudex et manicis emendans paululum amictus
Hungarico infuso: „Nunc — inquit — more novato
Doctrinae causa iuvenes legamus ad urbem,
Neve negamus adhuc plus natos atque nepotes
Commentariolis maioribus arte doceri.
At video magis ac magis, ut fert aegre adolescens
Artis egere schola, sapiat qua vivere mundo.
In villas quondam vehebatur gente novellus;
Lustra duo ipse ego agens Vojevodi villicus olim
Patris eram camerae praefecti almique patroni,
(Ad genua offendit, sic fans, Camerari): ad agendum
Publica consiliis me praemolitus opimis
Curabat, dum hominem fuisset mente virilem;
Eius apud nos commemores, animamque perenni
Tempore Divino precibus commendo fidelem.
Si nequii illius villae convertere in usum
Tot fructus, alii quot, rure reversus arator
Factus, dumque alli maiore favore fruentes
Eiusdem summa attingunt tunc munera regni,
Sumque id adeptus eo saltem, quod nemo neque
Nos obiurget apud nos offendisse decore [unquam
Officiique lepore aliquem; quid? dicere et ausim
Disciplinam esse haud facilem parvamque l e p o r e m.
Non facilem; doctrina etenim non desinit ulla,
Collidit ut calces bene quis ridensque salutat;
Talis enim lepor arte novus mihi more videtur
Mercantis, nec Lechiacus nec nobilis usquam.
Condecet iste decor cunctos, sed quemque nec idem;
Nam neque amor puerilis eget praesente lepore

Nec pudor uxoris, coniunx quem ostentat aperte
Aut herus in famulos — cuique est variatio quaedam.
Discere quisque diu debet, ne peccet, et onmi
Sponte modestatem sciat observare decentem.
Maiores didicere etiam; dominumque fuere
Colloquia, ipsa patens vivi patrii historia orbis,
Nobilis at gentis, quae gesta domestica nuper
In regione patent, per quod cognosceret aequus
Nobilis oblitum minime, coli ab omnibus et se;
Nobilis est proprium mores servare vetustos.
Nunc frustra ex aliquo quaeres: qualis? aut geni-
[tor quis?
Vixerit aut quocum? quid et egerit? Intrat, ubi vult,
Quisque, nisi est vel inops aut emissarius ullus.
Vespasianus uti, qui non olfecerat assem,
Unde sit, a cuius manibus, nescire volebat;
Noscere sic nolunt generosum, sic neque mores!
Sat, quod pollens est, fronti ustaque nota videtur;
Hac ratione colunt comites, qua Iudaici aera". —
— Hoc dicens Iudex convivas ordine spectat;
Etsi facunde dicebat menteque semper,
Tam properos scierat iuveniles temporis huius
Et taedere rei longae, licet arte diserta
Eloquii dictae, tamen intenti ora tenebant.
Iudex ad nutum Camerari visus amantem est
Consulere; is nec eum laudando interveniebat,
Sed persaepe nuens aiebat fronte serena.
Conticuit Iudex, at nictans ille probabat;
Iudex inde suum calicem illiusque culullum

Implens prosequitur: „Non observantia parvum est;
Cum colere ediscit mortalis, quaeque decebant,
Aetatem, stirpem, virtutes, morem aliorum,
Tunc simul ipsius culturam noscit opime:
Sic, in lance velut, nos gnari ut pondere simus,
Diversa quemquam debemus ponere parte.
Vobis, convivae, tamen attendenda modestas
Praecipue, iuvenum generi servare venusto
Quam decet, imprimis illustris Lar generosus
Quando lepore micans innato, laude resplendet.
Unde via affectus, simul et praestantia cingunt
Foedera se domuum — veteres sic concipiebant.
En igitur...“ Iudex inopinato ore reverso
Thaddaeo nutans graviter conspexerat illum:
Conclusum ostendens iam se sermonis adire.

* * *

Indice tunc tabaci sculptam Camerarius auro
Percutiens capsam: „Fuit — inquit — pravius olim!
Nescio nunc, an et haec veteres nos saecula mutent,
An melior pubes, minus et quae scandala cerno.
Heu! memoro tempus quo apportabatur inanis
In patriam primum subito mos Gallicus orbem!
Quo necopinato penetravit faex puerilis
Haec ad nos, peior Tatarorum more caterva.
Insectans patriae Divinum iuraque, mores,
Maiorumque fidem, vestes ipsasque vetustas.
Quis non moerebat cernens, petulantia ut ibat
Praeflorata loquens per nasos, saepe sine illis,

Cum foliis variis, genere et quoque ephemeridum [omni
Vae iactante fides inventas, iura habitusque.
Ac magnam vulgus vim mentibus attulit istud,
Divus enim, genti ut noxas permittit amaras,
Cives quam primum spoliat rationibus omnes.
Nullus sic sapiens audebat homunculo obesse,
Quem gens tota, angens ut quadam peste, timebat,
Cum iam in visceribus sentiret germina morbi.
Inclamabatur iuvenis barbatulus, et post
Quisque imitatus eum mutabat iura et amictum,
Mutato ore fidem. Fuit hoc lascivia, nugae
„Carnevale"que; quadrageni post (servitus) instant.

* * *

Sum memor optime, uti — licet ipse infantulus — [ad nos
Pago Osmanensi Cyathoris stirps vehebatur
Gallorum reda, quae iactabatur in orbe
Littalico primus Gallorum indutus amictu,
Quemque sequebatur vulgus velut accipitrem album;
Invisum est domui, cuius fors limine stabat
Uxoris cisium Cyathoris utraque rotarum,
Vulgo 'carriolum' Gallo sermone vocatum.
Aurigae vicibus catuli duo sede sedebant
At Germaniculus macer ut tabula arcta sedili,
Longuriisque lupi pedibus, quos fibula tectos
Calceolis suras tenues argentea cinxit;
Falsa coma, in sacco lepidis tot sarta cincinnis.
Curru maiores risu fremuere iocantes,

At frontem cruce signantes fabantur agrestes
Diabolum Venetum pilento haerere Borusso.
Sed qualis ipse fuit Cyathor, depingere longum est;
Semius esse videbatur vel psittacus ille;
Ornatuque comae, quocum conferre solebat
Vellus inauratum, 'villus' nobisque vocato.
Cuique videretur licet illa Polonica vestis
Pulchrior ac moris peregrini imitatio inepta,
Constabat tacitus metuens clamore iuventae
Maiorum inventis illam impedire dolose!
Temporis errorem fuit huius tanta potestas!
Edixit Cyathor se tandem more novando
Exculturum homines mansueta lege moratos
Et Gallos quosdam tunc invenisse disertos
Moribus aequales homines nos esse locutus.
De quibus etsi olim iam scripta Novaque probata
Lege, eadem loquitur quisquis sermone sacerdos
Et fuerat doctrina vetus servanda decore,
Error et indoctorum animis offusa caligo est
Tunc, quod et antiquis non credebatur in orbe
Quae nisi Gallorum fors lecta ephemeride essent.
Stirps Cyathoris et aequa licet, tunc marchio facta est
Nomine, cum titulos ex urbe Lutetia oriri
Constet et hic titulus tunc Marchio more vigeret.
Consuetudo aliquid saeculi mutavit in annis:
'Vir popularis' idem post Marchio more vocatur;
Denique mutato more Almi tempore Corsi
Vir popularis adest iam dictus voce 'Baronis';
Sequana eum misit; variata sorte, superstes

Si foret, hic populi baptizaretur amicus;
Clara Lutetia enim crebro creberrime amictu
Mutato se effert; Gallo edita, amata Polono.

* * *

„Laus Divo, quod cum iuvenis proficiscitur extra
Lechus, calceolos peregrinus non ad emendos,
Summa typographicis nec quaerere iura tabernis,
Nec vel rhetoricam cauponis discere lectis.
Namque en vir sapiens properusque Napoleo non dat
Tempus abhinc aut fabellas aut quaerere mores.
Arma sonant, nobis senibus modo pectora crescunt,
Fama Polonorum quod rursus crebruit orbe;
Quorum gloria adest, aderit Res Publica tandem!
Libertatis enim lauris solet arbor oriri.
Nos miseros, quod nobis heu! parum agentibus anni
Tam tarde serpunt, at semper tam procul illi!
Tamque diu mora! Rarus adest et nuntius ipse! —
Quaeso, Robace pater (tacite, sed dulce Minorem
Adloquitur Fratrem), tibi ab ultra certa Nemenum
Cognita dicuntur, quid de legionibus effers?“
„Nil omnino“, animo respondit Frater iniquo
(Namque, ut perspicuum, sermonem audiverat aegre),
„Civilisque rei me taedet, epistola ab Urbe
Forte recepta refert monachorum resque Minorum
Fratrum; quid cena referam nunc de quibus illa?
Et laici sunt hic, ad quos nil attinet haec res“.

* * *

Sic ait et limis oculis conspexit, ubi inter
Convivas Moschus sedit, Rycovus, in armis

Expertus miles, aestivis deversus ad arcem
Vicinis. Iudex ad cenam comiter illum
Invitavit; edens avide non colloquia orsus,
Sed Varsavia ibi memorata fronte retorta:
„Quid? Camerari — inquit — Vos semper mira videndi
Percupidique Bonapartis Varsavica vultis!
Quid? Patriam? haud speculor, loquor et sermone
[Polono —
Tellurem patriam? Quae sensa intellego cuncta!
Vos Lechi, sed Rossus ego, haud contendimus us-
[quam,
Induciae nunc sunt, edimus bibimusque coacti.
Saepe miles prima cum Gallo prae statione
Garrit Rossiacus, mulsum bibit: 'hurra!' fremunt et
Arma tonant: proverbium „amo hunc, quocum sero"
[Rossum.
„Palpes nunc paranymphae et eam ferias sine pelle".
Martem dico flagraturum. Plutumque tribunum
Est advectus heri legatus: Ad agmina praesto!
Ibimus aut Turcis subici vel vincere Gallos;
Hercle! Bonapartes heros et magna figura!
Nos sine Suvaro virgis concidet acerbis.
Corsus fertur apud nos, Gallorum agmen adortos,
Sic magicas coluisse artes: Suvarus easdem;
At contra tales permira venena fuere.
In pugna quondam Corsus quo manserit unquam?
In vulpem mutabatur, sed et arte canina
Suvarus currebat — atrox iterum ille vicissim
Felis, ut ungue ultra rapiat, — Moschusque figuram

Manni sumit. Ehem! quae finis et ultima Corsi" —
Hic intermittit Rycovus editque; feruntur
Fercula quarta; inopinato foris altera aperta.

Ingreditur persona nova et formosa, tenella;
Adventusque repens, species candorque puellae,
Vestimenta movent oculos, omnesque salutant
Thaddaeo excepto; quemque illam nosse patebat.
Blanda statura eius gracilis, pectusque venustum,
Vestis materie sata bombycina rubensque
Parte supra exsecta colloque monile politum.
Astrictae manicae; flabellum torquet amanter.
(Non erat aestus enim); flabellum fulserat auro
Et scintillarum iactans diffuderat imbrem.
Non tecta est coma, sed miris nexa orbibus arte,
Et rubicunda nitent cirris redimicula texta;
Intra gemma micat pretiosa oculisve retecta,
Stella corusca velut profugae crinita cometae.
Complectar paucis, insignis vestis; ad aurem
Dictum est rure nimis praestantem et luce profesta.
Astricta tunica pedibus, quos nemo videbat,
Currebat, potius praeterlabatur, ut illa
In praesaepiculis Sanctûm simulacra Magorum
A pueris agitata movent se, mobile lignum.
Currit et inclinans leviter caput, omne salutat
Membrum et sede sua vacua considere quaerit.
Difficile; hospitibus sellae non sufficiebant,
In quatuor scamnis series duo bis cubuere;
Ordo movendus erat vel scamnum transiliendum.

Scamna duo inter ibi sollers penetrare sciebat,
Tunc etiam hinc intra prae mensa et quoque sedente,
Rite pilae ludo provolvebatur in orbe;
Sic properans tetigit iuvenem prope percita dictum
Et suspensa genu cuius simul instita ut unco.
Vestigio fallente parum prolapsa, aliena
Volvens, Thaddaei nolens innixa lacerto est.
Blanda suo pro delicto faciebat, et inter
Hunc patruumque suum consedit, sed nihil edit;
Flabello tantum lenem sibi ventilat auram,
Torquet flabelli vel leve manubrium in orbem;
Collarisve ab ea dentata Brabantica tela
Digeritur, cultus capitis mulcetur opimus,
Fascia vel variis clarisque coloribus uncta.

* * *

Inde morae paulum rupto sermone tenebat.
Interea extrema procul instant murmura mensae,
Incipiunt post vi magis ac maiore susurri;
Ecce viri sibi disceptant quae capta recenter.
Lis oritur vehemens Assessorem inter et atra
Atque Notarium, atrox Postsectus sit canis eius,
Cuius erat, leporem quem corripuisse ferebat,
Illiusve, refert Assessor ad hunc stomachosum,
Ista decere canem Fulconem, palmam et honorem.
Quaerunt tunc alias voces; stant hinc vel et illinc
Cum cane Postsecto, modo cum Falcone fere omnes,
Nonnulli artifices, alii qui vera videbant.
Iudex opposita vicinae parte recenti.
Leni voce: „Necesse — inquit — considere cunctos,

Excuses, ad posterius conferre nequimus
Has epulas; magna convivae fame laborant,
Qui campis spatiabantur procul; ipse putabam
Hocce die haud assessuram te, filia, nobis".
Sic ait, et loquitur tacito inter pocula plena
Cum Camerario agens modo de civilibus actis.

* * *

Partibus ambabus distentis sic alienis,
Collustrans oculis ignotam mente revolvit
Thaddaeus se sorte locum primo intuitum illum
Contemplo reperisse, foret sedile puellae,
Palpitat insolita pectus ratione pudicum;
Coniecturarum cernit secreta retecta!
Fata igitur voluere venustatem ad latus eius
Consedisse illam, quam sera viderit hora!
Illa videbatur forma speciosior etsi,
Namque induta fuit, minuit vestitus et auget.
Illiusque comam flavam curtamque videbat,
Huic tamen atra coma est longis nexisque capillis.
Certe oriebatur radiis color igne cadente
Solis, cuncta quibus vix praecipitante rubescunt;
Non facies percepta, nimis cito lumine abibat.
Ast mentis gemina est solitae mox colligere ora;
Sensit amante oculos piceoque fuisse colore
Et faciem ceu lac, gemina et labra ceu cerasa illi.
Huic reperit similes oculos, simile osque genasque.
Aetati summum posset discrimen inesse!
Illa videbatur topiaria parva puella,
Haec domina at mulier maturos volverat annos;

Nonne venustatis roget ulla iuventa regestum?
Nam iuveni tenera est ac florens femina quaequae,
Aequalis puero pulcherrima quaeque videtur,
Atque omnis meretrix insonti virgo pudica.

* * *

Thaddaeo nato viginti iam licet annos,
Qui puer in magna Vilnensi habitaverit urbe,
Praeceptor simul impositus custosque sacerdos;
Qui rexit iuvenem ad veteris praecepta rigoris.
Illinc Thaddaeus paret regione paterna
Et corde innocuus, mente acri atque integer intus.
At petulantis item fors quando libidine vitae
Praemeditabatur vacuo sibi mox liciturum
Libertate frui vetita rure amplius alma;
Formosumque sciens alacrem se sensit et annis
Ver tenerum, viridem et simul ut patrimonia salvum.
Nomen erat S o p l i c a illi; Sopliciadum gens
Tota gravis, robusta, ut notum, pinguis, obesa;
Unica ad arma, minus doctrinis sedula summis.
Thaddaeus non degener a maioribus exstat.
Qui bene vectus equo, pedibus levibusque valebat,
Non licet obtusus studiis male proficiebat,
Nil patruo parce donante ut hic erudiatur;
Maluit intentans ictum mucrone movere;
Se designatum militaribus esse sciebat,
Effatumque patrem testato ipsum hoc voluisse;
Tympana discipulus cupiebat semper et ardens.
Consilia haec patruus tamen immutare repente
Iussit, eumque brevi venientem sumere nuptam

Remque statim gerere, ut rus nobile possit obire
Exiguum primo, sed post bona tota spopondit.

* * *

Quarum Thaddaei laudum praestantia mira
Virtutumque oculos vicinae adverterat in se
Provida proceram metitur virgo staturam
Ac lepidam, pectus latum eius, bracchia firma.
Aspicit os, ex quo tenuis rubor emicat, ut quam
Saepe oculis iuvenis cupidae obversantur ocelli:
Anxietate etenim Thaddaeus se recreavit
Ex prima omnino iam; acie, de qua flagrat ignis,
Audaci spectat, spectat quoque virgo, vicissim
Papulae inardescunt quatuor ceu cerei in Albis.

* * *

Prima ab ea resonat Gallorum lingua; reversum
Ex urbe ac studiis rogat acta librosque recentes,
De scriptore libri quid censeat ipse, rogati
E dictis post vicinae nova quaestio surgit.
Quid? de picturis coepit tunc dicere et arte
Fingendi, symphoniaca, choreisque novellis!
Quae pariter probat esse notas sibi nota, tabellas
Atque typos, metuat Thaddaeus ut obstupefactus,
Ludibrio ne doctrinis sit prae tot opimis,
Haesitat et lingua simul, ut puer ante magistrum.
Fors bona, quod lepidus mitisque magister ephebus;
Mox aenigma metus vicina sibi explicat eius,
Dicere de gravibus minus et sapientibus orsa,
Sollicitudinibus de lentis rurigenarum,
Degere qua ratione diem, capienda voluptas,

Rus delectatur, vita ut reddatur amoena.
Thaddaeus replicat fidentius, en age porro!
Dimidia secum consuescunt funditus hora,
Immo dicax oritur sal et altercatio parva.
Ante illum globulos panis tres denique ponit,
Tres ad delectum personas: proximus ipsi:
Conspiciens utraque hoc Camerari filia frontem
Contrahit, arridet vicina, nihil tamen addit,
Qualem significet globulus felicior ille.

* * *

At secus adversa perfudit quemque voluptas,
Desubito namque hic aucti Falconis amici,
Verbis Postsecti partes super incidere audent.
Rixa gravis fuit, extremas nemo ederat escas;
Contendunt stantes et sorbent plurimum utrique,
Commota (horrendum) stat mente Notarius urens.
Cum semel incepit, causam volvebat in aevum,
Verbaque cum gestu multum gravitatis habebant.
(Actor erat causae Bollesta Notarius olim,
Oratorque vocabatur sacer ob nimium usum
Gestuum). Habetque manus lumbis cubitumque re-
[tortum
Porrectis digitis, quibus ungulae atrociter exstant.
Isto significans signo duo lina canina,
Finem dicendi faciens modo: „Tollite! frenis
Solvimus ambo canes Assessor et ipse ego iuncti,
Sicut uterque relaxatus ‘canis’ in bitubo uno
Sclopeti digito; bis tollite! Iamque volarunt;
At ceu chorda lepus rabidus petit arva, canes post

(Hoc fans extendit palmas per mensam, imitatus
Curriculum canum atrox digitis, mirabile visu),
Pone canes et proh! spatium sat grande remoti
A silvis; prae Falco, agilis canis, at furiosus
Postsectum praecedit abhinc digitum, abfore scivi.
At mirum caput, iste lepus, quasi in arva cucurrit;
Pone caterva canum; confertos cum simulator
Percipit auritus cunctos instare cruori,
Sese praecipitat dextra, dextraque canini
Tam stupidi vertunt, at callidus ille sinistra
Saltus capreolans iterum facit, inde caterva
Stulta petit laevam, lepus in silvestria tuta;
Postsectum c a p e r e h i c potui simul". Edidit anceps
Exclamans dictum mensa Bollesta renixus
Cum digitos movet adversa, tum bis „c a p e r e h i c"
Thaddaeo super auriculas; vicina ut et ille [fert
Tam necopinato percussi voce timore
Sponte sua removent capita a se, ceu arboris una
Serta cacumina, ubi tempestas separat illa;
Atque manus infra mensam prope se positae arcte
Inde retro recidunt subito faciesque duorum
Coccineo velantur abhinc unoque rubore.

* * *

Distentum ne aliena animum nudaret agentem
Thaddaeus: „Verum, dubio procul, alme Notari,
Postsectus canis, inquit, habet formam; an capit
[aeque?...
— „An capit — exclamat Bollesta — aequaliter? Iste
Qui mihi deliciis, capiendi nescius esset?" —

Tam pulchrum vitio latrantem quoque carere
Thaddaeus gaudens iterum, vidisse dolebat
Se tantum silva redeuntem, non qualitates
Eius noscendi tempus sibi quodque fuisse.
Ad quae contremuit cyathumque Assessor omisit
Demergens oculos in Thaddaeum ut basiliscus.
Assessorque minus rabula et non mobilis ore
Quam Bollesta erat et macrior gracilisque statura,
Horribilis tamen in nugis et concilio; illum
Dicebant habuisse omnes quasi aculeum in ore.
Ille cavillabatur enim tam dicta iocosa,
Quae quisque in Fastis formis describere posset:
Iracunda simul cuncta et vehementia; quondam
Qui locuples, patris et comedens heredia fratris
Cuncta ligurrivit magno versatus in orbe;
Nunc accessit agens ad munus publicum, ut omni
In pago magna mox auctoritate valeret.
Sive feras agitat cupidus venator amore,
Bucina sive canens indagoque saeva ferebat
Eius felices animum annos ad iuveniles,
Queis venatores tot ei, canibusque tot usus
Semper erat; duo nunc reliqui mansere catelli.
Alterutri quorum laus ipsa et palma negetur!
Accedens prope, latranti palpabat amico,
Subridensque (acido risu) simul ista locutus:
„Est cauda sine latrator ceu nobilis orbus
Munere, cauda canes etiam iuvat ad volitandum;
Est bonitatis, uti censes, penuria caudae?
Verum, nitamur quid adhuc ‘amita’ aestimat istud

Haec tua amans; quamvis Telimena habitarit in Urbe
Nostratumque brevi tantum regione moretur,
Venari melius scit venatoribus ipsa
His pueris: aetate venit doctrina quasi ultro“.

* * *

Tam subito tanto percussus fulminis ictu
Thaddaeus surgit, commotus mente, parumper
Nil loquitur, sed in aemulum atrox magis ac magis,
[ore
Horridiore videt; dum (fors bona!) sternuit ultro
Bis Camerae praefectus, „have!“ clamore vocabant
Omnes; inclinans caput, indice pulsat opimam
Pyxidem iners tabaco fartam; procul aurea fulget
Gemmis inclusis, media exstat Stanesilai
Regis imago; patri Camerari rex dedit olim
Ipse illam dono, quam digne et dulce fovebat
Exstincto patre natus; amans Camerarius illam
Cum pulsabat, erat signum, quod dicere avebat.
Conticuere omnes et conclusa ora tenebant;
Ille autem: „Clarum genus — inquit — nobile, fratres!
Ecce forum venatorum silvestria et arva;
Nolo proinde domi tales decidere causas,
Consessumque diem conferre in crastinum et actus
Constituo, ulterius partes veto dicere contra;
Fac cras rem revocare, Ministerialis, in agrum;
Cras Comes et vehitur cum venatoribus istuc.
Et tu nobiscum, Iudex, Vicine, movebis,
Nos Telimena et herae comitabunturque puellae —
Venatum fictum, ut paucis complectar, agemus;

Atque Tribunus erit nobiscum". Talia dicens
Capsam porrexit tabaci plenam ille senili;
Qui venatores insederat ultimus inter.
Iste subauscultans oculis modo semireclusis
Nil loquitur, pubes licet omnis consulat illum,
Nullo venatum melius noscente: tacebat,
Dum tabaci micam digitis trux ponderat imis
Perpenditque diu, donec illam denique sumat.
Sternuit, atque repercutitur simul omne cubile,
Concutiensque caput subridet et edit acerbe:
„Quam res haecce seni mihi mira et tristis, amara [est!
Quid venatores de causis his seniores
Eloquerentur ibi cernentes a generosa
Tot dominorum acie decornendam esse canina
De cauda litem? Rejtanus quidque referret,
Si vivus? Lachoviciam reveniret et iret
Confestim cubitum! Quid Nesiolovius ille
Censeret Vojevoda senex, cui prima caterva
Orbis adhucque canum est, qui servat more ducentos
Nunc venatores et centum plaustra plagarum
Arce Veroncensi, monachus velut insidet arvis
Annos iam tot; eum nemo exorare veniret
Venari posset Bialopetrovoque recusat!
Namque quid in vestris caperet venatibus ille?
Fama foret grandis, herus horum more dierum
Hic iactaretur lepores! Sed tempore nostro,
Ore utens venatorum, lupus, ursus et alces
Rite vocabantur fera nobilis, atque aper aeque;
Unguibus ast animal vel aprugnis dentibus orbum,

Cornibus atque carens praestolabatur egenti,
Seu famulis operisve; ullus non sumeret unquam
Sclopetum dominus foedatum glande minuta!
Nimirum catulis retinebat, namque peracto
Venatu contingit, equo modo sub redeuntis
Exilis lepus effugiat; tunc lina canina
Forte resolvuntur ludendi causa, adigitque
Coram utroque parente decus puerile caballis;
Non insectantes cernebant paene parentes;
Quid de venando lis? Quid? Camerarius Almus
Iussa utinam revocet sua condonetque, quod ipse
Ad talem nequeam venatum cras proficisci,
Cui non interero pedibus tangentibus unquam!
Ipse vocor Hretsecha; auritos a duce Lecho
Venabatur adhuc mundo Hretsecha neque ullus".

* * *

Talia dicentem risus iuvenum obtudit illum.
Confectis surgunt epulis. Camerarius agmen
Primus linquit; honos fungentem munere talis
Maioremque decet natu; vadensque salutat
Et dominas et maiores et denique pubem;
Mendicus sequitur, Iudex post; limine Iudex
Uxori Camerae Praefecti suave manum offert,
Thaddaeus Telimenae, Assessor porrigit almae
Dulce Secatoris natae, Bollesta venustae
Uxori palmas extendit fine Tribuni.

* * *

Hospitibus cum nonnullis Thaddaeus adibat
Horrea commotus, stomachosus; gaudia abibant;

Tunc perpendebat diversa eventa diei,
Occursum, cenam vicina concomitante;
Vox illa imprimis 'amitae' stridebat ad aures
Musca molesta ferox. Ex ore Ministerialis
Scrutari cuperet melius quid de Telimena,
Non attingere eum poterat tamen, atque Tribunum
Haud cernebat; eas epulas post protinus omnes,
Ut famulos decet, hospitibus cuique attribuebant
Ad tempus cubitumque instructa cubilia villae.
Maiores dominaeque cubant in aedibus ipsis,
Thaddaeus, domini fungens vice, ducere iussus
Horrea versus erat iuvenes in mollia foena.

* * *

Hora dimidia villa regnabat in omni
Tanta quies, ut apud monachos, cum campana
Dulce sonabat eis; nocturni vox dirimebat ['Salve'
Sola quiem vigilis; devicit mox sopor omnes.
Unicus haud dormit Iudex. Circumspicit ipse
Villae dux, ut agris sint cuncta ornata paratu,
Atque domi instituet ludos epulasque futuras.
Agricolis, servis curantibus horrea, scribis
Iussa dedit, famulis et venatoribus, aulae
Praefectaeque, erat et nummos numerare necesse.
Exui ait tandem se velle Ministeriali:
Zona recincta ab eo; solida et Slucensis opima,
Cristarum ritu qua lucent fimbriae onustae;
Auro materies distincta et floribus uncta
Purpureis alia, nigra bombycina quadratis
Suta alia argento; zona haec latere est utroque

Apta ad cingendum; pars aurea tempore festi
At nigra moeroris; sciit ipse Ministerialis
Solvere, flectere eam detentus talibus ipsis.

* * *

„Quid grave, concludit, quod mensas transtuli in [arcem?
Unde nihil damni fecit quis; forte lucraris,
Tu, Domine, actio enim praesen'i de arce agitatur.
Nos sumus hocce die nostrum ius arcis adepti
Contemptisque iris adversae partis inibo
Infitiata argumentum nos arce potitos.
Quid? Qui convivas epulis invitat in arcem,
Esse probat propriam vel possedisse relictam.
Adversae partes hoc testabuntur et ipsae:
Haerent ex nostro similes mihi tempore casus".

* * *

Iam dormit Iudex, gradibusque Ministerialis
Suspensis in vestibulum prolabitur; (ardet
Cereus); assidit, sinui promitque libellum,
Qui semper praesto laribusve viave moranti,
'Aureaque Ara' velut precibus fuit. Hicce 'Vocanda
Iudicialis' erat; causae magno ordine ibidem
Compositae, quondam quas voce Ministerialis
Ante magistratum clamabat vel reperire
Post poterat notas, rudibusque 'Vocanda' videtur
Index nominum, ei praeclarorum est tabula ipsi.
Sic legit inquirens: Visgirdi causa et Ogini,
Praedicatores cum Rymsa, is cum Visogirdo,
Cum Veresaco Radivillus, resque Rodulti
Gedrocio cum, Iudaicis est causa Obuchovi,

Iuraha cum Petro, Mickevius atque Malescus,
Fine Comes Sopliciade cum; nomina causas
Haec referunt illi magnas, eventa legenti.
Et stant sponte forum, partes testesque agitanti
Ante oculos; ipsum se spectat, cum tunica alba
Purpureoque brevi stetit ipse indutus amictu,
Ante forum, laeva capulo dextraque vocantem
Ambas ad mensam partes „linguisque favete!"
— Somniat, et precibus finitis ultimus orbe
Littalico obdormit bonus ille Ministerialis.

* * *

Tales deliciae, tales et tempore quondam
Littalico lites tranquillo rure fuere,
Cum reliqua in lacrimis et mersa est terra cruore,
Ille vir et belli deus agminibusque refulgens,
Millibus armatus tormentorum, ipse residit
Curru aquilas auro, simul argentoque micantes
Coniuncto, a Libycis desertis advolat Alpes,
Fulmen icens in Pyramides et fulmine Tabor,
In Marengum, Ulmum, Austerlitz. Victoria ubique,
Ante rapina et post. Gestorum gloria feta
Nominibusque equitum strepitans a margine Nili
Ad boream sequitur, ripas imo usque Nemeni,
A quibus ut resilit saxis et ab agmine Moschae,
Littaliam quod defendit, cum ferrea tela
Tot iacit, a fama quae Rossis horrida pestis.

* * *

Quid? Lapis e caelo nonnumquam forte cadebat
Nuntius in nos Littalia novus; imo aliquando

Mendicus micamque rogans, qui sive pede orbus
Sive manu, stipe collecta, stat lumina vertens
Circum percaute. Nasum ut neque vidit aduncum
Nec milites Moschos, ut nec collaria rubra,
Tunc profitebatur militarem se legionis.
In terram miser ille tulit vetera ossa paternam,
Quam amplius haud potuit defendere... Quam ve-
[hementer
Tota domus tunc amplectens acceperat illum,
Et famuli se vix arcebant, qui lacrimarent!
Narrabat tum fabellis mirabiliora
Bellica gesta sedens ad mensam; qua Generalis
Lechiacam ratione studens attingere terram,
Italiam linquit Dombrovius indigenasque
Ad Longobardos in campis ut coacervat;
In Capitolina Kniasevius imperat arce
Caesareae ut victor stirpi proiecit adempta
Vae coram Gallis centum vexilla cruenta;
Ut Jablonovius petit oram, qua piper aret,
Saccharon excoquitur, silvestria vere perenni
Floribus omnia olent, dux Histri cum legione
Fulminat Aethiopes, patriae telluris anhelus.

* * *

Sermones tacite sinuabant rure seniles;
Auditis puer his, oculis ex matris abibat
Sorte domo, furtim per silvas perque paludes
A Moschis actus, repens saltuque Nemeni
Per flumen sub aqua natabat; ripa ducatus
Varsoviensis eum tollebat; vox ibi laeta:

„Care sodalis, ave!“ Prius ac fugiebat, in altum
Insiliit lapidem Moschisque „valete“ vocabat.
Sic clam Pacius et Gorecius atque Obuchovus,
Sic Obolevius et Petrovius atque Janovus,
Merseiadaeque et Cupsius et Rozycius olim,
Bernatovicii, Brochovius ac Gedyminus,
(Non alios numerem) sic evasere per hostes,
Dilectaeque solo telluris, utroque parente
Atque bonis lictis, quae Rossum aerarium ademit.

* * *

Littaliam interdum Frater mendicus adibat
Ex aliaque domo monachus tutisque repertis
Clam villae dominis ostendit ephemeridem illis
(Dissuta e scapulario erat), qua grex legionum
Tot militum nomenque ducis cuiusque relata
Ac descripta brevi verbo victoria vel mors.
Primum post annos tot comperiere parentes
Vel vitae famam, laudumve aut de nece prolis;
Luctus signa domum velabant; dicere, moeror
Quem designabat, non conabantur, oborta
Coniectura hominum circa; taciturnus herorum
Moeror mensve hilaris quasi gentis nobilis acta.

* * *

Talem mendicum tectumque fuisse Robacum
Dicunt; secreto cum Iudice saepius ille
Multa loquebatur; peragrabat post nova circum
Fama. Habitus Bernardini prodebat eum unquam
Veste isse haud monachi, nec cellis insenuisse.
Cui fuit excisae pellis manifesta cicatrix

Palmarisque supra dextram, fronte altius, aurem
In barbaque recens hastae quasi nota vel ictus;
Non missale legens accepit vulnera certe,
Non modo vultus atrox necnon vestigia teli,
Sed motus voxque illius quid Martis habebant.

* * *

In missa quando ad populum manibusque supinis
Et „Dominus vobiscum“ orans, vertebat ab ara,
Tam simul interdum bene torquebatur in orbem,
Quam verti et stari terga aversa a duce iussus,
Verbaque promebat tanta liturgica voce
Ad populum, qua praefectus militaris ad agmen:
Quodque ministrantes pueri saepe accipiebant.
Ille peritus erat rebus civilibus una
Plus quam Sanctorum Vita; rus cum peragrabat,
Urbe morabatur persaepe in municipali
Multa negotia agens: vel epistola reddita quaedam
Illi, quam nunquam solvebat testibus ullis, [est
Nuntius aut mittebatur, sed quo neque quare
Nulla Robacus ad id; saepe elabatur herorum
In villas noctu gentisque in nobilis aures
Multa susurrabat semper pedibusque terebat
Vicinos circa pagos, neque pauca, tabernas
Devertens, caute plebi referebat agresti,
At semper quaeque externum sunt gesta per orbem.
Nunc quoque Iudicem adit, qui totam sopiit horam,
Excire e somno; dubio procul et nova praestat.

Caeteri 11 libri sequentur.

Thaddaeidos argumentum

Adam Mickiewicz post Varsoviam a. 1831 ab hostibus occupatam Poloniamque denuo Rossorum servituti mancipatam una cum aliis viris bonis in Francogalliam emigravit. Ibique Parisiis *Thaddaeidem,* quam Polonice inscripsit *Pan Tadeusz* (i. e. Dominus Thaddaeus), praeclarissimum litterarum Polonarum carmen epicum, conscripsit. Carmen hoc vitae et morum pristinorum Polonorum tradit descriptionem. Narrationem de Thaddaeo Soplica et de ultimis in Lithuania incursionibus, quibus nobiles neglectis iustitiae normis litem violenter pro suo arbitrio dirimebant, finxit actam gravissimis Poloniae restituendae temporibus, quando scil. Polonorum legiones Napoleone imperatore pro patriae libertate recuperanda communes hostes, nimirum Germanos inque primis Rossos, debellabant (a. 1812). Attamen non ipsa bella Napoleonica, sed potius idyllium amoris Thaddaei Soplicae et Sophiae Horesciae poematis constituunt thema. Cui amori obstabat litigium de palatio Horesciadum, traditum a Confoederatis Targovicianis Hyacintho Soplicae, qui Horescium postremum gentis eius virum trucidaverat. Hyacinthum, qui non propter Poloniae libertatem, sed — quod ignorabatur — ob vindictam privatam necaverat (Horescius namque filiae conubium ipsi denegaverat), sceleris commissi sero paenitebat studensque delictum reparare parentibus orbam Sophiam, nepotem ultimamque gentis Horesciae prolem, fratri suo, Soplicae iudici, educandam tradidit. Thaddaeus Soplica conspecta Sophia Horescia apud patruum suum iudicem amore eius inflammabatur. Cui amori nascenti litigium de palatio obstare videbatur, cum vicinus Comes, Horesciorum consanguineus, palatium sibi vindicaret et praeterea Sophiae amorem ambiret: at iudex conubio Thaddaei et Sophiae facto litem de palatio componere nitebatur. Comes vero vi litem diremptürus incursione facta palatium et Soplicarum aedes occupat: defendunt Soplicam milites Rossi, pugnaque inde exorta Poloni Polonis iunguntur viribusque unitis Rossis cladem inferunt. Victores timentes Rossorum vindictam patriam relinquunt, postque aliquod tempus una cum Napoleonis expeditione contra Rossos suscepta revertuntur. Nuptiarum Thaddaei Sophiaeque celebratione, Polonorum libertatis proclamatione carmen finitur.

IMPRESSUM IN TYPOGRAPHIA SCIENTIFICA, LEOPOLI, VIA ARMENIORUM 8
Editor : RICARDUS GANSZYNIEC, Leopoli, in Universitate Ioanneo-Casimirana
Moderatores : Bronislaus Ilkow et Ioannes Koltowski, Leopoli, in Universitate

Palaestra prodit semel in mense, excepti Iulio et Augusto. — Constat 35 grossis
Opłata pocztowa opłacona ryczałtem — Styczeń — PKO Warszawa 154.894